Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 959
Quelle:
Copyright:

f. ſed Editio haec e Codice perfici poſſe videtur. Nam mox in ingreſſu *aperire tentabo* magis *Anſelmi* modeſtiam refert, quam *aperire curabo;* dein ſtatim inter *praeſcientia Dei liberum arbitrium* ponendum *et;* atque paullo poſt legendum: *impoſſibile eſt, ſimul eſſe Praeſcientiam Dei, quae omnia praevidet, et aliqua fieri per libertatem arbitrii* &c. Textus noſter nulla Capitum diviſione integer decurrit.

II. *fol.* 13. p. 2. ſequitur *Auguſtinus ad matrem.* Initium: *Tue non immemor peticionis o cariſſima mater* &c. Vide, quae de ſpurio hoc foetu, jam *Adelhero*, jam *Bedae* inſcripto dixi *Vol.* I. P. 1. *col.* 797. et P. 2. *col.* 2115. item hoc jam *Vol.* Hic *Bohemum* Librarium habuit, qui *fol.* 19. p. 2. minio adjecit: *Ihesu chriſte pomoz naz*, id eſt, adjuva nos.

III. *fol.* 22. p. 2. *Incipit alter Tractatus de Suffragijs mortuorum ualde bonus.* Articulis X. exponitur, qui, per quos, ubi, quibus Suffragiorum generibus expurgari poſſint. Omnes piis fabellis ſcatent. Initium eſt: *Commemoracio omnium fidelium defunctorum ſemel in anno eſt fieri inſtituta in eccleſia* &c. autorque dicitur *Petrus Dammyanus.* Finis: *et ipſum de medio abſtulerunt et ſic finitur tractatus pulcer.* Scriptus dicitur *feria ſexta in feſto ſancti Mauricii.*

IV. *fol.* 26. ut e calce petendum, *Liber beati anzelmi de Menſuracione crucis.* Init: *Quoniam iubente filio tuo criſto: Perfecti eſtote* &c. Extat quidem in edit. *cit.* p. 494. ſed editor *Gerberonius* in *Cenſura* praevia negat eſſe *Anſelmi*, quia in nullis *Mſſ.* reperitur, quia c. 5. *Bernardum* citat, quia c. 1. formulam *ex condigno* adhibet Seculo primum XIII. natam. Reſpondeo, Exemplar praeſens Caeſareum certe eſſe *mſptum;* in eo non citari *Bernardum*, ſed locum ita habere: *Unde quanto benignius de illo, tanto indignius de me cogor ſentire*, quem ſenſum ſi poſterius adoptavit *Bernardus*, ſalvo id *Anſelmi* jure feciſſe, demum in *Cod.* noſtro c. 1. a prima manu legi *ex digno* et *τὸ con* non niſi in margine adjectum eſſe; dato vero etiam, Formulam *mereri ex* vel *de condigno* Seculo demum XIII. apud Theologos invaluiſſe, neminem negaturum, ſenſum illius in Eccleſia ſemper extitiſſe, primumque fortaſſe, qui illum dicta formula exprimeret, fuiſſe *Anſelmum*, a quo tanquam duce ſuo poſteriores Scholaſtici facile illam adoptarint. Itaque me quidem volente nemo illum de poſſeſſione hujus Tractatus deturbabit.

V. *fol.* 31. *Incipit alter de venenis viciorum Tractatus ſatis bonus.* Initium eſt: *Racio veneni potiſſime peccato conuenit cum prioritate originis, cum vniuerſitate infeccionis, cum difficultate cure et medicaminis* &c. Agitur de VII. Vitiis capitalibus ita, ut unum quodque comparetur Animali venenato, eique adponatur Remedium. Ita

Super-